

HISTORIARUM INDICARUM LIBER SEPTIMUS.

INTEREA Sultanus Campson, ad abolendam acceptæ ad Dium cladis maculam, & arcendos Arabia Lusitanos, classem omni conatu ad Suezium reparabat, auctore maxime Hocena Perfa, de quo supra docuimus. Is, cum ex Diensi prælio, Campsonis iram non sine causa pertimescens, ad Mamudium perfugisset Cambaiæ Regem; placandi Campsonis, & recuperandæ pristinæ dignitatis & gratiæ, tale consilium iniit: Gidda est emporium in Arabico sinu, diei ferme itinere a Meca, idemque portus peregrinis, qui prava inducti religione, ad falsi prophetæ sepulchrum undique confluunt. Ea urbs, quod nullis clausa mœnibus, nullo præsidio vel arce teneretur; & aliquoties jam a Campsone defecerat, & Arabum campestrium, quos vocant Baduinos, incursionibus repentinis erat vehementer infesta. Porro Lusitani si frequenti navigatione iis regionibus adfuescerent; metuendum erat, ne Gidda nullo negotio occupata, eodem impetu Mecanam everterent ædem, ac Mahometis reliquias, ad solatium interceptæ ab Saracenis Hierosolymæ, dissiperent. Eo animadverso periculo Hocenus, totam rem cum Cambaiano Rege primum, dein cum satrapis & principibus contulit: publicamque jactando causam, & religionem ac pietatem (ut sæpe fit) privatis rationibus prætexendo, facile obtinuit, ut contra vim Lusitanam, cingendæ muris Giddæ magna sibi cum a Rege, tum a privatis, pecuniæ subsidia præberentur. Cum iis subsidiis Giddam delatus, ingenti oppidanorum lætitia excipitur. Inde primum ausus Campsonem compellare per litteras, culpa cladis nuper acceptæ, neglectas in religiones, & justam numinis iram artificiosè collata; docet, sibi esse in animo, ad sacrarium Mahometis ab omni tuendum injuria, & Lusitanos Arabico littore prohibendos, Giddam undique apertam firmare munimentis: id ubi summa civium voluntate perfecit; tum etiam, in Campsonis gratiam, nec opinantibus iis, arcem imponere; ne, quod antea fecerint, in posterum ab ejus imperio atque auctoritate desciscant. In eam rem affatim sibi pecuniæ aliunde suppetere: tantum a Campsone sibi peritis munitoribus opus esse. postremo hortabatur, ut adversum conatus nostrorum, classem sine mora reficeret: accensisque ad Mahometanam tuendam rem, Christianosque pellendos, Indorum principum studiis ne deesset. Ea satisfactione, tamque enixo studio religionis, delinitus Campson, non iras modo posuit, sed etiam structores & architectos Giddam extemplo deportandos curavit: quorum assidua opera, & Hoceni sedulitate, brevi murus cum propugnaculis urbi circumdatus est. arcis extruendæ, quod ma-

L 1 2

turum